



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

Provincia Aqvitaniæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70132)



# PROVINCIA A QVITANIÆ.



**H**ABET Societas in hac Prouincia decē Domicilia. Collegium Tolosanum, Collegium Burdigalense, Collegium Rutenense, Collegium Auscitanum, Collegium Petragoricense, Collegium Aginense, Collegium Lemouicense inchoatum, Collegium item Biterrense inchoatum, Domum Probationis separatam Tolosæ, & Residentiam Sancti Macarij. In his degunt ex Nostris ducenti & decem, ex quibus Sacerdotes sunt septuaginta sex, reliqui vel Magistri, vel Scholastici, vel Coadiutores. Obierunt Patres quatuor, quorum tres plurimis annis magno pietatis & religionis exemplo in Societate vixerūt. Admissi hoc anno sedecim. Opera Nostrorum non ijs tantum locis, in quibus degunt, sed alijs plerisque expetita, & fructuose etiā posita, præsertim per Aduentum, & Quadragesimā, cū ad sacras cōciones missi sunt. Quamuis enim durēt adhuc contradictiones, magna tamen est apud optimos quosque Societatis existimatio: necnon apud nonnullos aduersarios, qui Nostrorum eruditionē, virtutē, laborem non mirari nō possunt. Magna vbique pœnitentium frequentia, & magnus in Scholis numerus discipulorū, qui ferē in pietate non minus, quàm in litteris proficiunt.

COL

# COLLEGIUM TOLOSANVM.



LVIT hoc anno circiter quinquaginta quinque de nostris, Sacerdotes viginti, quorum tres Theologiam scholasticam, & Casus conscientia, duo Philosophiam. Magistros alios quinque, qui Grammaticam, & Rhetoricam docuerunt, Scholasticos vel Theologia, vel Philosophia septemdecim, Coadiutores tredecim. Obijt Noster vnus ex apoplexia, non minus virtute, quam aetate spectandus. In rebus, Deo iuuante, bene gestis, haec ferè visa notatu digniora. Caelesti pane refecti apud nos circiter viginti quinque hominum millia. Auditi de totius vitae rationibus plus minus viginti supra trecentos. Positis inimicitijs in gratiam, Nostrorum opera, redièrè quinque. Nefarium consciscendè sibi necis consilium abiecèrè decem. A turpitudine vitae reuocati viginti quinque. Ludibrijs Dæmonum, ac tricijs expediti quinque. Aucta res sacra, piorum benignitate minimè vulgari, nec externorum modò, sed & Nostrorum, vestes quippe, quibus induti ritè sacris Sacerdotes operantur, quo primùm ipsi tempore fecerunt tres nostri Patres, à parentibus obtinèrè sanè splendoras, atq; magnificas. Sacrarium ipsum ampliore spatio commodè laxatum. In tempore atque in ipso penè articulo moribundis ferè triginta procuratis Sacramentorum subsidijs probè consultum. Hæreticorum libri cum Magicis concremati: multi ab eiusmodi librorum venenis legendis, scribendis, edendis quoque deterriti. Adiuti extremo addicti supplicio. In ijs vnus à Confessione singularis aiacritas emicuit. Sic enim ad

mortem quasi de manu Dei capiendam explicata hilarique fronte pergebat, ut facile spectantes intelligerent, haudquaquam vanum esse, quod ipsemet disertè prædicabat, videri sibi se non tam ad supplicium duci, quam ad conuiuium. In ijs, qui morbo laborabant, iuandis strenuè quoque laboratum. In eo genere mirum fuit, phreneticum inter ipsos deuia mentis errores, audita Confessarij voce, rogantis, num piè, sanctèque mori cuperet, se verò maximè cupere, & statim aperire peccata Sacerdoti velle, reddita derepentè bona mente, respondisse. Nec mora, dat aures Pater confitenti. Peracto negotio repentè in phrenesin recidit, quam paulò post placidissima mors excepit. Pecuniæ malè partè restituta. Et egit quidam ut manibus Nostrorum aureos octoginta nummos restitueret. Itum in reorum custodias, ibique audierunt Nostrum, & auditi sunt vicissim, & adiuti.

PERFECTVM vnus è Nostris Patribus confilio, ut in Monasterio quodam diebus Dominicis ad feruos domesticos (quorum scilicet ad id temporis institutio neglecta fuerat) sermo de rebus ad officium Christianum pertinentibus haberetur. Religiosus verbi domini præco nõ vulgaris anno superiore spiritualibus exercitijs à Nostris excultus, cum alios fructus non poenitendos, tum hunc sanè magnum hoc anno rependit. Nostrorum exemplo vbique concionatur, doctrinam simul Christianam pueros, ac rudes edocet, icunculis etiam, ac rosariolis, & pijs eiusmodi munusculis animos captat, & capit; nec minus præclare in viris quinque religiosis (ex quibus duo præfecti suæ familiæ, tertius Nouitiorum moderator) ijsdem pijs P.N. Ignatij exercitijs diligenter expoliendis, opera stetit. Nam cum de restituenda velut in integrum disciplina, quæ penè de portata videbatur, ferio cogitarent, inde hinc saluberrima, & ad eam rem opportunissima consilia boni Patres arripuerunt, quæ suis primo

primo quoque tempore traderent. Multa piorum libellorum millia curata ingenti bono multorum. Sed fructus in hoc genere princeps, quod Nostrorum ope perutilis liber vernacula conscriptus lingua de officio Parochorum, a pio quodam Religioso, Parochis, ac Sacerdotibus, opportunum ignorantia, praesensque remedium passim lectitatur.

IN missione Castrensi ( vrbs ea est Episcopalis in Gallia Narbonensi, quam iam dudum Huguenoti tenet) Nostrum varios fructus, adiuuante Domino fecerunt. Nam restituto, pace facta, Religionis Catholicae cultu, cum in Aduentu, tum solemnibus maioris ieiunij diebus concionatores nostri, atque adeo reliquis anni tempestatibus, tempestiue feliciterque laborarunt. Catechismus explicatus magno concursu etiam Haereticorum, qui etiam frequentes ad Nostrorum conciones, nequicquam reclamantibus Ministellis, vltro ventitarunt. Musicus in Collegio Canonorum concertus tandem aliquando magna multorum cum voluptate, tum vtilitate restitutus, quod nempe negotij plerisque flagitantibus frustra fuerat ante tentatum. Indicta temere a quodam de augustissimo Sacramento vernacula lingua disputatio: propositis etiam thesibus, conditoque die, nostri Sacerdotis consilio, atque auctoritate discussa; simulque sublatum scandali periculum, quod imminabat. Idem eodem in oppido Consulum rogatu, grauem inter oppidanos gliscentem rixam compescuit. Simul publice cuiusdam temeritatem repressit Haeretici, qui bene dicta a viro bono, qui concionatus ibi fuerat, maligne palam carpebat, atque vellicabat. Ex odio quodam graui calumniae eiusmodi manarunt. Hoc etiam caput Sacerdos obstruxit homine conciliato. Sacerdotes quidam altiora quam ingenij captus ferret ambitionis studio capescebant: inde nimirum praecipua illa de rebus gratissimis dispu-

tandi libido. Noster ad commodiora cum sibi tum alijs quibus incommodaturi fuerant studia tractanda reuocauit.

EST Xenodochium in Vrbe Castrensi, Nostri permitte Præfecto, quamuis hæretico, sæpius inuiserunt. Ac licuit per illum Catholicos quidem Catholico more ac ritu iuuare, cum Hæreticis verò de Religione prorsus agere vetuit. Id tamen clanculum à quodam impetratum, vt salutationem Angelicam B. Virgini recitaret, quam olim Catholicus didicerat. Adhæc honestæ Matronæ adductæ vt ægrotos inuiserent, & Christiana benignitate fouerent. Duo hæreticam prauitatem eiurarunt. Plures eiurassent nisi bellorum motus obstitisset. Primarij viri concionibus frequentes adfuerunt, qui etiam Concionatorem nouum vltro sæpè inuiserunt, & cum eo familiariter frementibus errorum magistris, de illorum inscitia confabulati. Denique vir (in illo quidem tractu) Hæreticorum, & dignitate, & potentia facile princeps multas horas cum Patre, cum in Vrbe, tum in arce extra Urbem magna voluptate vltro, citroque disputauit. Et verò palam affirmavit si quod vnquam tempus incidere, quo tempore de mutanda Religione consilium capiendum esse videretur, Iesuitarum se opera potissimum in eo negotio libenter vsurum. Coierant ex maligna illa natione ministellorum in urbem Castrensem capita fere centum. Ex hac tota colluue ne vnus quidem repertus, qui cum Nostro congregari auderet. Ita muti omnes abiectique vnus meru, quamuis à Nobilibus Catholicis identidem prouocati, manifestæque vanitatis, ac ignauiæ palam accusati, ne tentata quidem pugna, discesserunt. Datæ aures in ea vrbe consentibus permultis, factum vt sanctissimum Sacramentum in ædes etiam Hæreticorum, & quidem obstinatissimorum (Consistoriales vocant) si quis modò Catholicus ager ibi decumberet,  
Christia

Christiano more deferatur. Mulier quædam Catholica diem piè obierat extremum. Ea renitente frustra filio hæretico, Consulibus etiam Hæreticis auctoribus, Catholico ritu sepulta. Libellum nescio quis famosum aduersus concionatorem nostrum ad ipsas templi valvas fixerat. Hunc libellum ex Senatusconsulto Consules Hæretici in vrbe hæretica suis ipsi manibus lacerarunt. Viri foemineque nobiles complures id se palam credere prædicarunt, quod Sacerdos noster crederet, ac doceret. Quid plura? Sic vulgò erga Societatem benè animati, vt ipsi etiam Hæretici magnopere cupiant sui Collegij habenas, suæque iuuentutis erudiendæ curam Nostriis permittere. Concionator porrò noster tanta apud omnes siue gratia, siue reuerentia fuit: sæpe vt vno dumtaxat comitante, per mediam urbem ad ægros visendos, in tempesta quoque nocte per ipsas militum hæreticorum excubias, nullo interurbante, pergeret.

SCHOLAE nostræ numero discipulorū, & pietate, & doctrina florent vt cum maximè, in quibus mille trecenti ferè numerantur. Ac pietate quidem elucent, qui in Parthenij ytramque Sodalitatem cooptati. Illustris verò maior Sodalitas Senatorum, ac virorum honestissimorum benè magna frequentia, vt nouum etiam sacellum sua ipsi benignitate cōmodius & amplius excitarint, quo diebus præsertim B. Virginis festis ingens tota vrbe concursus fieri solitus. Præsidium etiam, Senatorum, virorum denique in omni genere prælustrium, tanta voluptate audiunt declamantes ingenuos adolescentes, & vespertinas preces eximia vocum suauitate, nec minori pietatis sensu persolutas. Iam in minore quoque Sodalitio, non minorem in pietate progressum factum pauca hæc in multis ostenderunt. Illos pius, ac verus Xenodochiorum inuisendorum veluti postliminio reuocatus. Carceres etiam adeunt, & inclusos qua possunt, iuuant. Diebus

Sabbati flagris in sese partibus in orbem distributis, animaduertunt. Defunctos, Sodales subiectis certatim humeris, inspectante, ac mirificè probante ciuitate, alijs funebri pompa prosequentibus, efferunt. Hæc ferè pietat egregiæ specimen nostri iuuenes ediderunt, maiora, vti spes est, in dies edituri.

I A M rei litterariæ in omni genere præclarum, ac liculentum specimen publicè datum à Nostris Iunio mense exeunte. Dux ipse à Ventadour (vt alios nobiles viros omittam) qui Prorex recens in urbem venerat nos comiter inuisit. Audiuit pueros anigmata explicantes, & audiuit libenter, & totam hanc Musarum pompam vir Musis imprimis amicus, vehementer approbavit. Exceptus tùm pro tempore varijs epigrammatis. Pàucis post diebus cùm nos destinato reuiferet, vnà cum Duce Espernonio, & maxima virorum nobilium frequentia, tanta multitudine mortalium confluyente, quantam Collegium capere maximam potuit, acceptus perhonorificè Gallico dramate, illique proprio. Dux Espernonius separatim Egloga Gallica. Res fuit vtrique grata, iucunda spectantibus. Datum fuerat ante drama liberalibus ipsis, Hilaris liberalia. Datum postea in renouatione auditorum aliud drama Tragicocomicum de Alexio, distribuendis præmijs, quæ litteratus ipse Dux à Ventadour litteratæ inuenturi perbenignè, ac liberaliter est impertitus. Habita postridie oratio de vrbe Tolosa coram Protopræsidente, virisque omnium ordinum primarijs, & libenter auditam Tolosates approbarunt.


I N feminario Domini Cardinalis de Loyosa, numerati sunt alumni triginta octo. Nouem propediem ad agrum Domini colendum exituri, rebus ad proximum viuandunt magis necessarijs instruuntur. Alij duo mediocri litteratura, & quæstionum conscientia notitia informati, nunc in agro Dominico vicarijs Curionum partibus funguntur.



funguntur. Extremum diem obiēre duo. Quotquot sunt in hac familia, mores subrusticos, quibus antequam in Seminarium pedem inferrent erant imbuti, ad mansuetiorem vitam composuerunt, & spem nobis præbent futuræ segetis amplissimæ. Medium porrò, quo ad honestiorem cultum viam sibi sternunt, varium est ac multiplex. In primis enim litteras, virtutesque crebris lectionibus, atque exhortationibus docentur. Deinde Christianæ pietatis humilitatisque officijs incumbunt. Confessionis, & Communionis sacramenta, vt minimum decimo quinto quoque die frequentant. Nonnulli quot hebdomadis id factitant, habendis concionibus, & communibus parochorum formulis proclamandis in cœnatione, singulis Dominicis, festisque celebrioribus exercentur. Atque vt paucis complectar, ad omnes parochi partes virefque subeundas, ex Illustrissimi Domini Cardinalis præscripto quàm diligentissimè præparantur. Hunc ferè in modum res domi, forisque benè gesta.

---

COLLEGIVM BURDIGALENSE, CVM RESIDENTIA SANCTI  
Macarij.

LVIT hoc anno de Nostri ferè viginti octo, Sacerdotes vndecim, Magistros in oppido Sammacariano duos, qui Grammaticam docent, Scholasticos quinque, qui Burdigalæ Casibus conscientia dant operam, Coadiutores decem. Erga Nostros benignè satis atque honorificè exceptos Catholici omnes benè affecti sunt. In Galliam Nostrorum  
omnium

omnium postliminio reditum, præcipuè verò in hac vrbe Academiae nostræ instaurationem in votis habent vtrumque maximè. Defecerat à Religione Catholica vir quidam Ecclesiasticus, quod ei sua erepta esset Ecclesia, iamque in viam se dederat, vt ad urbem aliam ab hæreticis occupatam se conferret, vbi Ministri munus illi oblatum est: sed admonentis conscientiaë stimulis exagitatus, non prius quieuit, quam ab vno è Nostris post confessionem absolueretur, & eiuratis erroribus Calvinianis, Ecclesie restitueretur. Alius item vir nobilis hæresim eiuravit, cum aliquoties dubia sua Sacerdoti nostro proposuisset. Tertius item post aliquot altercationes, quibus eximi scrupulos suos optabat, hæreticam doctrinam abiicit, in qua fuerat ab incunabulis eruditus, licet in vrbe verferetur, quæ in potestate hæreticorum est, ibique pauci, qui restant Catholici, multis difficultatibus, & molestijs vexentur, nec tam multos sua opera (medicinam enim exercet) vsuros sciat. Alium etiam in ea professione Collegam suum, exemplo & exhortatione ad eandem hæresim eiurationem pellexit. Cum edidisset librum perniciosum vir quidam nobilis magni apud suos nominis aduersus sacrum Missæ sacrificium, quo multorum etiam Catholicorum animos commouerat, quòd sanctorum Patrum deprauatis sententijs suos errores in speciem tueretur, errorum eius breuem catalogum texuit è Nostris quidam, quo non modò corruptos ab illo fuisse locos ostendit, sed & pudendos illius in historicis, chronologicis, alijsque Grammaticis quæstionibus errores redarguit, neque mediocriter piorum mentes confirmauit, & pudorem illi (si pudere possit hæreticum) imposuit. Nobilis item foemina tandem animus inflexus est, vt mariti Catholici desiderio aquiesceret, & hæresim abiuraret, nihil verita patris potentis, & nobilis odium, aut reprehensionem, qui hæreticorum vnus Prouinciaë quasi Princeps

ceps est, & protector. Vir annos natus triginta à puero hæretica prauitate planè imbutus, postquam egisset cum aliquo ex nostris Scholasticis, facile manus dedit, deductusque ad quemdam è Nostris, Catholicam est amplexus veritatem, noui dogmatis falsitate reiecta. Huic homini adeò facilem mentem ideo iniecisse Deum non sine ratione dixerit aliquis, quòd ille vitam sine crimine lethali castè, integrèque ad eam vsque diem transegisset. Calvinum secutus quidam splendidis satis, iisdemque vesana Caluini opinione imbutis ortus parentibus, præter omnium spem, & opinionem Ecclesiæ Catholicæ iugo collum submitit, eo animi ardore atque sensu, vt singulis diebus vni, & alteri, sapius etiam tertio sacro audiendo, templum nostrum frequentet.

INGRAUESCENTE pestilentia, magna à ciuibus, & à Nostris in varia oppida distractis in vrbe sollicitudo fuit ex Nostris quinque domi relictis, quorù duo, qui Patres erant, confessionibus audiendis, & Christi sanctissimo Corpori quibuscumque ad templum nostrum accedentibus ministrando, operam dederunt. Ex prædonibus quatuor in oppido ab Hæreticis occupato, ad quod prædam fecerant ex Iudicum sententia in rotam agendis vnus Iudicibus supplicauit, vt sibi in hac vrbe carnificinam illam pati liceret, quò animam sibi agenti Iesuita adesset. Petenti quod optabat datum, atque concessum est. Morbo laborantibus non paucis ex Nostrorum consilio in potum aqua lustralis aliquoties data, pristinam valerudinem restituit. A nocturnis terriculamentis domus, quam infestam habebant, postquam dominus cum familia de Nostris alicuius consilio, confessione peccata expiasset, plenè liberata est. Multæ tum hic, tum Samnacarij generales auditæ confessiones magno cum fructu. Habitæ item conciones per Quadragesimam, & Aduentum, & diebus festis toto fere anno, cum

cum in nostro, tum in varijs vrbis templis, magno animarum adiumento : atque etiam in vrbe Vasatenfi vbi nonnulli hæresim eiurarunt.

## COLLEGIUM RVTENENSE.

**V**ERE hoc anno è Nostris in Collegio Rutenensi septemdecim, Sacerdotes septem, quorum vnus docet Philosophiam, Præceptores humaniorum litterarum quinque. Coadiutores totidem. Florent quantum antea nunquam Dei gratia scholæ numero, nobilitate, ac pietate discipulorum, ex quibus non pauci ad Societatem animum adierunt. Horum vnus cum litteras à parentibus, de quibus nihil dudum inaudiuerat accepisset, easque dum legeret dulci Patriæ atque parentum desiderio eius animus titillari coepisset, Ignatiani memor exempli, foco, cui affidebat, vix semilectas iniecit, hæc sibimet identidem loquens. Egone pro vno parente, pro vno fratre, tot parentes, tot fratres amifero. Abeant cum Matre Pater, cum fratre cognati. Alius spe deiectus cepta Philosophiæ studia prosequendi, Patre, qui ipsum in Patriam reuocarat, subsidia negante, reuersus ad nos desiderij sui memor, opimam nactus est conditionem. Is Dei dono pergit in proposito. Scholasticus grauitè decumbens cum iam penitus valetudine esset desperata, condiscipulorum precibus commendatus statim meliusculè habere coepit, breuique post omninò conualuit. Reuerendissimus Episcopus ex longo quasi exilio reuersus, & eximia ciuium gratulatione exceptus, postmodum maxima sua cum voluptate ab scholasticis, in nostro sacello, dialogo eleganti

ex

ex theatro exhibito, est salutatus. Idem aliquot post dies ibidem loci professionem fidei ab hæretico palam excepit, tonfuramque, ac Confirmationis sacramentum contulit multis. Canonicus regularis vita antea facta minus religiosè motus Nostros adiit, pijs vt exercitationibus dedisceret veterem, & addisceret nouam. Is voto positus, ita mutatus est, vt alijs verbo & exemplo auctor sit vitæ melioris. Ad nos quoscunque potest, mittit, & qui operam nostram sibi vtilem est expertus, eandem alijs impendi procurat impensè.

**SODALITAS** vtraque ipso quasi flore tum ciuium, tum scholasticorum constat, & pietatem, morumque integritatè studiosè colit. Elucet verò in his morbo decumbentibus singularis quædam ratio ægritudinis, & mortis ferenda, vt vnus (is erat adolescens eximie spei, domus, & familiæ columen vnicum) & morbum, & mortem ridere videretur, quo filij exemplo mater animata maritum solari coepit verbis lætitiæ magis præseferentibus, quàm tristitiæ. Alter in villam profectus, manè cum se orationi dedidisset, Iosephi exemplo mulierè nobilem genere magis quàm virtute de stupro se compellantem, increpitam fortiter remisit. Iterum alius cum lapso equo, & velut mortuo succumbente, magnæ Matris opem implorasset, eum reuiuiscens sensit, coeptumque iter sospes est profectus. Multi è remotis pagis Confessionis causa Nostros adierunt. Totius vitæ crimina expiarunt centum, aut his plures, vnus beneficio iniuste possessio se abdicauit. Alter fructus malè perceptos restituit. Condonatæ iniuriæ etiam atroces, & plusquam verbales ab ijs qui se nunquam condonatuos statuerant. Societatis nostræ amicis publicæ rei gerendæ idoneus antequàm grauiora, quæ occurrunt negotia attingat ad nos Confessionis causa recurrere solitus, felicem ferè semper exitum est sortitus, hoc anno præsertim, nobisque voluntate

tate magna ædem sacram, & Collegium exædificandum parat. Nobilis morbo decumbens, & Pœnitentiæ sacramento expiatus, dum Eucharistiam in crastinum expectat, noctem ducit infomnem, ea percepta melius habuit. Cuius primarius morti proximus illustres rerum diuinarum visiones sensit, cantu etiam Angelico recreatus. In commodè non ita multo ante, licet medicus periculi nihil esse nunciaret, Nostrorum opera expiari sacramento Confessionis voluit, quos etiã à se diuelli vix patiebatur. Mulieres duæ à meretricio probro, ab hæresi viri duo reuocati. Vxor cum viro, quem reliquerat, est reconciliata. Qui horas Canonicas negligere erat solitus, persuasus est à Nostris eas diligenter persolvere. Flagellationes libenter susceptæ. Hæc penè domi.

DIMISSI è Nostris in proximas vrbes, & pagos fructu non pœnitendo. Horum vnus cùm inter concionandum fœneratores grauer argueret, ecce tibi fœnerator insignis debitorem conuenit, remittit fœnus, idem præstiturus in reliquos. Alter hominem à turpitudine reuocauit, dimissa concubina, cui multos annos confueuerat. Idem domesticas coniugum discordias, Parochi item cum suo Parochiano, & quidem inueteratas præter omnium opinionem sustulit. Idem exponendus iuuandis peste laborantibus tantum præ se tulit gaudij, vt ad lautum conuiuium, non ad mortem diceres vocatum. Proficiscebatur Sacerdos vnus è nostris aliquò, ecce tibi Minister hæreticus sexagenarius Nostrum sequitur, & assequitur: gratulatur ille sibi tantum boni contigisse, quòd liceret sibi, quòd tam diu expetiuerat, cum Iesuita de negotio suæ salutis conferre. Querit igitur inter equitandum multa, audit libenter, & in multis se acquiescere profitetur. Tandem lachrymans cum digredi cogeretur, enixè contestatus est Nostrum, vt sibi per litteras negotium idem promouenti mutuis epistolis ne deesset.

Sacerdos

Sacerdos alius missus concionatum tempore Aduentus fecit, vt oppidani Sacerdotes sapius in hebdomada conuenirent ad tractandum inter sese de officijs Christiani hominis, polliciti in eo perseuerantiam, vno ex ipsis legente, & explicante quod sit è re ipsorum.

OPPIDVM sancti Affricani dudum est hæreseos rabe deprauatum. Sed cum Hæreticis benè multi Catholici fortiter patièdo auitam fidem tutati ciuilibus bellis superfuissent, optarunt vnus è Nostris opera diutinam verbi Dei famem satiare. Petunt ergo, & obtinent Sacerdotem vnum, qui sibi Aduentus tempore concionibus esset solatio, eum scilicet quem valetudinis causa non multo antè illuc profectum, sua magna cum voluptate audierant Ministellorum deliria, vsque ad ipsorum hæreticorum ruborem, refutantem. Eius igitur monitu factum est, vt laudabilis consuetudo salutandi signo campanæ Virginem Matrem interrupta iam viginti quinque totos annos, reuocaretur. Docebat idem doctrinam Christianam singulis diebus festis, & dominicis: socius verò eius reliquis profectis. Ex eo vtilitas hæc percepta, vt cum ipsi hæretici viderent Catholicorum liberos etiam triennes mysteria nostræ fidei explicantes, pertasi suæ ignorantia optauerint, nonnulli etiam ex primoribus suos à Nostris edoceri, idque precibus contenderunt, & obtinuerunt. Quin etiam ad tabernas mercatorum seuocatos pueros doctrinæ Christianæ gnaros audiunt libenter eam repetentes, suisque, vt eam ediscant, sunt auctores. Nunc ergo patiuntur illos, quod olim execrabantur, signo viuificæ Crucis muniri: Angelica salutatione B. Virginem compellare: coram imaginibus, quas præmij loco accipiunt, preces genibus flexis fundere: cantitare hymnos sacros vernaculo versu redditos. Cum olim ad Christi Natalem vix essent quinque, sexve qui cælesti pane reficerentur, hoc anno penè ducenti id præstiterunt,

Q

vt Curio, atque Canonici testarentur non plures ante festum Paschatis solitos sacra mysteria frequentare. Sacerdoti nostro matronæ penè omnes nobiliores tota vita confessæ sunt. Vna quæ marito vt placeret annis impuram hæreticorum coenam frequentarat, et defuncto, restituta Ecclesiæ est. Recisa amuleta Dæmonica. Restitutiones aliquot factæ. Aegrotantes adiuti, & animati ad mortem. Catholici vita functi, elati funere ita celebri, & numerofo, vt hæreticos puderet suæ infimili officio solitudinis. Sacra suppellex, nostri Sacerdoti hortatu, pia ciuium liberalitate aucta, additusq; animus ad Ecclesiam furore Hæreticorum solo æquatam in pristinum splendorem reuocandam. Hæretici cum ardentissimo desiderio tenerentur audiendi nostrum concionatorem, nec per ministrum liceret, optarunt ipsum in publica platea concionari, vt è vicinis domibus saltem audire possent. Obtinuissent nisi aëris inclementia obstitisset. Catholici qui olim facilè intererant cærimonij hæreticorum, quas in Baptismi, & matrimonij administratione adhibent, nunc moniti mentem mutarunt.

---

## COLLEGIUM AUSCITANVM.

**L**ABORARVNT in Collegio Auscitano hoc anno 1599. Socij vndeuginti, Sacerdotes sex, Magistri totidem, quorum vnus Sacerdos, Philosophiæ auditores duo. Coadiutores quinque, sublati morbo vnus. Dedere se Societati duo. Qui obiit Pater Guillelmus Sarrasinus Collegij minister, ætatis agebat annum quinquagesimum primum. In Societate vigesimum quartum: vir planè humilis, suiq; contemp



remptor egregius, miræ charitatis, ac patientiæ, proinde-  
que his nominibus non solum nostris, sed etiam externis  
omnibus charus. Quam illustri fuerit fide testantur mor-  
bi, quos propinata lustrali aqua, & hic, & Aginni valde  
multos expulit. Hinc vulgo virum sanctum vocabant.  
Tandem ipso Regaliorum die, cum ægros quosdam, &  
Xenodochium inuisisset, morbo correptus, post triduum  
obijt, scilicet eodem ipso die, quo decennio ante, Nostri  
susceptam Gymnasij prouinciam iniuerant. Reliquorum  
porro, qui superstites fuerunt, operam non malè locatam  
intelligetis ex his, quæ de multis pauca, & eximia tan-  
tum delibabimus.

HIC annus elapsum numero frequentantium sacra  
1000. superat. Reiecta pellex, combusti haretici, & ma-  
gici libri. Adolefcens quidam qui cum materno lacte he-  
resim suxerat, illam tandem solemniter eiurauit, priùs ab  
vno è Nostris fidem Catholicam edoctus: postea etiam  
Sacramentis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ corroboratus,  
non sine maxima iuuenis suauitate. Liberalitate vtriusque  
sacri profanique ordinis, tum vicinarum etiam Prouin-  
ciarum, aucta est domus nostra cubiculis, cum anteriori  
porticu classe bene ampla, & crypta vinaria egregiè for-  
nicata. Adhæc creuit census annuus.

DE classibus nihil hoc anno singulare scribimus, præ-  
ter sublatum ab illis inæqualis, & promissi capillicij vsum.  
Quingenti certè numerati sunt: inter quos auditorum  
Philosophiæ nunquam hactenus tanta visa est constantia,  
maximè ratione frequentia. Nunquam etiam hactenus  
renouatio studiorum adeò celebris, concursu Magistra-  
tuum, & aliorum ciuium litteratorum. Congregatio  
Parthenia vtraque augetur in dies: maior quidem tan-  
to numero, etiam optimatum, vt serio de amplificando  
facello sit cogitandum.

SOLEMNIBVS ferijs, quæ Christi sacra natali-

tia præcedunt, tres ad totidem oppida Sacerdotes concionaturi suam ita locarunt industriam, ut operæ fructus: quod vel ex his conijcias. Ex illis oppidis vni Gymontium vocant, illius Prouinciæ faciliè primum, vnde tantam diuini verbi expertum est, ut accedentium ad sacram synaxim frequètia his Natalitijs non minor fuerit quàm præcedenti Paschate. Neque fuit primus celebritatis Natalitiæ dies satis omnibus: quod longè antè prouidens Sacerdos noster, præmonuerat ex prisco Reip. Christianæ instituto, tres consequenter dies pietati consecratos, ne quis vnus dieculæ angustias prætextum omittendi sui in eo genere muneris causaretur. Hinc festum illud quadriduum sordium expiatione simul, & sacra Eucharistia celebratum est. Est in eodem oppido Gymnasium non recens & olim celebre non tantum numero Classiariorum, sed etiam Classium modò quinque tantum ductantur ordines à totidem magistris. His persuasum, ut Christianæ fidei rudimentis suam quisque imbueret iuuentutem. Nec defuit eiusdem opera oppidanis sacerdotibus, nec poenitentibus cuiusuis ordinis nec ægris, nec animam exhalantibus. Ita denique sum omnibus probauit operam, ut sepe egerint ciues de Collegio suo Societati committendo.

EXPEDITIO altera ad sancti Mauri, quo de alijs sæpè scripsimus. Ibi dedit aures Sacerdos noster, multis ex optimatibus totam suam vitam relegentibus, atque adeò nonnullis ex præcipua nobilitate, qui ex agris, vbi pro more patrio degunt, illuc rei diuinæ causa conuolant. Magiæ, ut vocant iudiciariæ, libri aliquot flammis traditi. Conciliati nonnullorum animi. In his coniuges & affines duo. Coniuges diuortium ante triennium fecerant absque legitima occasione, ita ut vxor iam cogeretur emendicatò viuere. Affinium verò vnus, cum in singulari certamine, quod ante sex annos contigerat, ab altero

vānus

vulnus accepisset, ad hoc diei cruentum indusum serua-  
rat, argumentum implacabilis animi: vterque tūm, & ad  
mutuò condonandam offensam, & ad totam vitam Patri  
confessione expiandam impulsus.

TERTIVS qui ex hoc Collegio missus fuerat ad  
urbem, quam vocant Insulam Iordanis (quod præsidium  
est Huguenotorum fortissimum) Catholicos, qui etiam  
adhuc multi numerantur, sacris concionibus in fide con-  
firmavit, & aduersarios adeò permouit, vt aliquot, eiura-  
ta hæresi, ad Ecclesiam redierint.

---

## COLLEGIUM PETRACORICENSE.

**R**ERVNT Petracoræ è Nostris, vt pluri-  
mum vnus & viginti, Sacerdotes septem, Ma-  
gistri sex, è quibus Philosophiæ Professor ad  
Pascha primum sacrum fecit, Scholastici  
tres, reliqui Coadiutores. Ex Nostris duo in præcipuo  
urbis templo, magno concursu sunt concionati, alter  
ieiunij maximi, alter Aduetus tempore. Sacerdotes in au-  
diendis confessionibus, iuuandis moribundis, & alijs id  
genus operibus frequentes fuerunt. Ad natalitia mille  
& centum in Nostro templo sacram synaxim ritè perce-  
perunt, Christiana doctrina in templo Urbis maiori pue-  
ris tradita à P. Rectore: quatuor hæretici Ecclesiæ resti-  
tuti, multi in fide nutantes solatij spe huc profecti, rediē-  
re quàm venerant constantiores. Amica nostris Nobili-  
tas, quæ hic affatim diebus festis solemnioribus aliquos  
aduocauit.

NOBILIS quidam Marchio leucas hinc octodecim  
distans, dudum aliquem è Nostris per litteras expete-

bat eidem factum satis. Quapropter inter Marchionem eiusque fratres, quæ in diuidendo patrimonio, aliaque ob res intercesserant inimicitia sublata, aliaque multa tum concionibus, tum priuatis colloquijs præstita. Idem ab nobili Comitissa oriunda accersitus, domesticorum auditis confessionibus, ab eadem summis tandem precibus obtinuit superstitiosum nescio quid è collo suspensum, in cuius locum suffecta est cerei agni imago, quam se dum viueret, gestaturam recepit. Excursum est etiam festis potissimum Paschalibus, & Natalitijs præceptoribus in oppida pagosque vicinos, & ab eisdem habitæ conciones tanto concursu, vt etiam è locis procul distantibus summo mane, noctu etiam nobiles tum viri tum mulieres conuenerint. Aliqui etiam hæreses suas vt omnino valere iusserunt, vel certè claris inditijs breui ab eo se volutabro recessuros declararunt.

CARLVSIUM (id oppidum est apud Cadurcos) missus alius Sacerdos Quadragesimæ tempore concionaturus, à quo tum in Ecclesiasticos, tum ciues alios pleræque dissentiones ac simultates sublatae sunt. Ab eisdem Socio doctrina Christiana pueris, virisque explicata est, magnoque concursu celebrata. Hæresim aliqui abiurarunt, inter quos egregia indolis puer parentum hæreticorum conatibus fortiter resistens tutò se ad Ecclesiam recepit. Scholæ de more frequentes, florentesque, in quibus supra quingentos numerantur, vt litteris ita pietati vt plurimum addicti sunt, potissimum qui vtrique B. Virginis Congregationi nomen dederunt.

## COLLEGIUM AGINNENSE.



VERVNT in hoc Collegio de Nostris viginti vnus, Sacerdotes septem, Magistri sex, Scholastici tres, Coadiutores quinque. In Societatem admissi tres. Scholæ de more celebres. Domi, forisq̃e magno fructu versati sunt Nostris. Consuetudo audiendarum glomeratim confessionum puerorum, adulatorum, & puellarum, sublata est in oppido proximo, vbi Sacerdos vnus è Nostris Casus conscientia Sacerdotes edocuit, effecit vt vastissimum templum pavimento coctili sterneretur, vt ad eius fores à prætergradientibus aperiretur caput, vt plurimorum egentium penuria, quæ erat maxima, leuaretur, ne in cœmiterio luderetur, quod passim fiebat. In eodem oppido de fide, spe, & charitate exhibitus dialogus à quinque hominum millibus spectatus auidè est. Dramatis doctrinam probarunt etiam multi è turba hæretici. Neque mirum cum multo natu viri, & foeminæ dum per dies alios docentur de rebus fidei coram puerulis non erubescerent respondere. Mirum magis alibi canos senes item respondisse, quorum vnus cum id præstare gestiret, voluntatem ex gesticulatione, conijciente Catechista interrogatur, exiit, respondet, icunculam quæ multæ dantur pueris, accepit fermè lætitiæ impotens, applicansq̃e galeæ quasi triumphasset, templum egreditur lætabundus. Confessi de peccatis totius vitæ quamplurimi. Tres inijs in oppido suburbano hæretici, quorum mulieri vni, quæ fontico morbo laborabat, exinde valetudo contigit, vt se credat, & gaudeat diuinitus sanatam.

ET ne discedam ab Hæreticis dum excurritur ab isto Collegio in finitimos pagos, & oppida quoquo versus, audito nostro concionatore vici Iudex iam senex ab hæresi ad fidem redijt, audiensque in Parasceue Christi morte pro suggestu dicentem Nostrum, fletu amarè, sibi que nunquam placuisse hæreticorum ministros asseruit postea. Ex nostris Scholasticis hæresim abiuravit vnus, cum antequam ad Scholas nostras veniret, à parentibus hæreticis à puero educatus fuisset ad hæresim. Mulieres etiam duæ receperunt Catholicam fidem, & totius vitæ scelera confessione expiarunt. Adde his hæreticum patibularium qui professus est fidem in carcere aliquot horas antequam ageretur in furcam, à Iudicibus, accusatoribusque pepercit, vt & alij, qui etiam procuratum omnibus Pœnitentiæ Sacramentum. Matrona quædam ab octo leucis ad nos confessionis & consilij causa venit. Cum enim spectris nocturnis vexaretur, atque adeo verberaretur, à nobis remedium expectabat. Ergo ritè confessa, ceream Agni cælestis icunculam secum deferens, redijt in patriam, neque deinceps eam spectrorum molestiam passa est, donec amissa facta icuncula, quasi inermem iterum aggressa est larua, ita vt ad Confessionis, & agni cerei remedium, quo antè prosperè vsa fuerat confugiens ad nos se denuò contulerit. Quod aliàs significatum etiamnum Deus hîc præstat, vt aquæ benedictæ vi febres sæpius arceant; quod confirmari potest exemplis plerisque. Redijt in gratiam auunculus cum nepote, cui erat infensissimus; cumque diceret bonus senex viuere filium, isque ad pedes eius iterum deuolueretur; multis vtrinq; lachrymis coaluit amor. Virginis Congregatio vtraque floret. Exercent Sodales sese maximè facièdo sui examine, & sacra synaxi plerique singulis diebus dominicis, reuerenter sumenda. Alij Scholastici virtutem inuident; vnus fuit, qui

libros

libros hæreticorum emeret, vt ad præceptorem deferret comburendos. Viri duo fidem receperunt, & puellæ itidem duæ heresi publicè abiurata, vt nobis hoc solum eisdem redditus quotannis ferat, quantum attinet ad hæreticorum lolium.

## RESIDENTIA LEMOVICENSIS.



**V**ERSATI sumus hoc anno in hac Residentia omnino tredecim: Patres priori parte anni tres, tum quatuor: Procurator, & studiorum Præfectus nondum Sacerdotes, Præceptores quatuor, tres Coadiutores. Nam ad tres Scholas, quæ anno superiore apertæ fuerant, hoc anno quarta est addita, tanto auditorum concursu, vt ea sola quinquaginta supra quadringentos numeret: (licet abecedarij, & rudiores ad externum Sacerdotem extra Collegium reiecti sint) aliæ tres amplius ducentos. Ex his tres, aut quatuor varios Religiosorum ordines ingressi sunt, totidem Societatem nostram petierunt. Reuerendissimum Episcopum Lemouicensem obiter Scholas inuisentem varijs Poematis, cum Græcis, cum Latinis, & Gallicis exceperunt. Illustrissimum Ducem Espernonium Galliæ Parem, & præter alias, huius adhuc Prouinciæ Gubernatorem, hanc ciuitatem lustrantem, domi suæ salutarunt Gallico dramate ipsius virtutes complectente, quo tantoperè delectatus est, vt eadem die Collegium visiterit, magno comitatu, & insigni benevolentie aduersus Societatem vniuersam significatione. Dederunt etiam mense Iulio Absalonis Tragoediam tanto spectatorum concursu, vt eos vix ædes nostræ, area, hortus, proximi ciuitatis

tatis muri, vicinorum tecta, & domus caperent. Adfuerunt Episcopus cum Clero, Iudicum Curia vniuersa, Consules, omnium denique ordinum præcipui viri, proximeque Regij Quæstores: è quibus quatuor per speciem domus nostræ angustijs, quadringentos ad ædificandum nummos aureos attribuere. Comparatæ iam hoc anno fuerant domus duæ Collegio vicinæ, hortus, & vacuus ad ædificandum locus. Ibi Quæstorum liberalitate cepta est à fundamentis extrui domus, quæ præter aulas duas, culinam, & poenum, viginti quatuor cubicula præbebit ad nostros recipiendos percommoda. Iamque ad medium, & amplius perductum est ædificium, proxima ætate Deo auspice perficiendum. Cinctus etiam magnus ex parte nouo & optimo muro noster hortus, & classis ita ornata, vt visentibus admirationem pariant. Veteris Collegij sacello, quod vix ducentos capiebat, diruto, nouum, & commodius parauimus, sublata prima contiguatione. Capit hoc circiter quingentos; non tamen omnes, qui ad nos ventitant. Idcirco ab instauratione studiose separatim sacrum Missæ officium audierunt extremæ Classis auditores vnum, alij omnes alterum. Sacramenta in Sacello nostro à die B. Virginis Assumptæ sacro, quo primum patuit, frequentant plurimi maxime poenitentes. Vix enim elabitur dies, quin multis peccata sua confitentibus horæ tribuendæ sint, quo fructu, vel ex eo colligere licet, quòd vnus Sacerdos vno mense supra centum totius vitæ confessiones audiuerit. Conciones in Vrbe toto anno habitæ à duobus, tribusve Patribus, maxime Aduentus, & Quadragesimæ tempore.

EXCURSUM etiam in vicina oppida, ea præcipue quæ à Prioratu huic Collegio attributo pèdèt. Vbi habitata catecheses magna omni uædificatione. Aenti monasterio etiam, quæ vrbs septè è Lemouicensi miliaribus distat, toto tempore Aduentus, Pater vnus est concionatus,



natus, & Catechismum docuit, multos ab hæresi, plures ab impura vita reuocauit.

## RESIDENTIA BITERRENSIS.

**S**VMVS hîc quindecim, Sacerdotes sex, quorum vnus conscientiæ Casus, alter Logicam docet. Magistri quinque, qui Rhetoricam & litteras humaniores profitentur. Scholasticus vnus. Coadiutores tres. Litteris Regijs patentibus assignata est hoc anno pensio mille trecentorum triginta trium aureorum pro fundatione Collegij, præter præbendam Præceptoriam, quæ centum aureis annui redditus æstimatur. Ciues præter sex millia aureorum quæ anno superiore in domus emptione collocarant, quatuor millia addiderunt, pro Scholarum ædificatione, & suppellectili. Habitæ ibi à Nostris conciones non sine fructu. Conuersi ad fidem quinquaginta, ex quibus ibi sumus, frequentes confessiones, & exhortationes habentur in diuersis Sodalitatibus. Trimestri creuit numerus Scholasticorum ad trecentos, cum vix sexaginta essent ante nostrum aduentum, qui & pietatis, & litterarum egregium specimen dant. Filia maximi cuiusdam hæretici, qui domi suæ hospitio receperat nouem ministros, in vrbe Montepessulano, cum inuocasset Mariæ Virginis opem, more solito dicens, IESV, Maria, & grauter à Ministris esset repræhensa, quòd Mariam, vt aiunt inuocasset, etsi nihil vnquam quàm hæresim professæ esset, quam à parentibus didicerat, perstitit in inuocatione illa, & minaciter à Ministris, & patre excepta, sua constantia patrem coegit eam Biterras mittere, vbi de-  
sponsa-

sponsata cuidam Catholico iam erat, professaque ibi est publicè maximo omniù gaudio Catholicã Religionem. Referebat autè furtim se aliquãdo in Ecclesiam ire solitam; atque illic dum oraret tantam sæpè spiritualis gaudij copiam sensisse, vt terram putaret se non tangere. Alius quidam insignis hæreticus, cum filium suum, qui Catholicis moribus, & fide imbutus præter expectationem suam fuerat, ad Ministrum duxisset, & ibi coram eo moneret, vt discederet à proposito, asserens se animã suam vadem constituisse pro filio si vereretur ne Huguenoti damnarentur, repræhensus est à Ministro, quòd sponforem se daret in hac re. Quid, inquit ille, ergo male secura est nostra religio? Domum reuersus coepit apud se cogitare, quàm parum isti Ministri de salute laici securi essent. Itaque abiurans hæresim qui cœcus pater ad cœcum Ministrum duxerat filium, duce filio, quali per iuniorem Tobiam pater, recepit visum, & ingenti gaudio totius vrbs, & Prouinciæ, lætitia affecit Catholicos omnes, & perculit aduersarios publica detestatione suæ hæresis.

QVIDAM ex nostris Patribus cum egisset menses aliquot Castris, quæ vrbs est dudum ab hæreticis detenta, & vbi tum mixtus Senatus æquo Catholicorum, & Huguenotorum numero erat, moneretque & publicè, & priuatim Catholicos, ne disputationem aut instituerent, aut reciperent cum aduersarijs, qui semper cupiunt esse legis doctores, etsi nesciant de quibus affirmant, aut de quibus loquantur, negaretque eos vllas habere scripturas, aut earum expositiones, quæ authenticæ essent, vt qui ad legitimam auctoritatem, & traditionem non possent referre, quæ ad prætensam suæ religionis reformationem spectarent. Tandem Huguenoti Præfidis artibus, Episcopi loci iussu, Senatorum Catholicorum summa impulsione, ad disputationem cum decem  
mini-

ministris descendit, vsurpante sibi per summam vim Præfide Hæretico auctoritatem summam in eo congressu; sed Dei Optimi, & Beatissimæ Virginis ope eò res deducta est, vt cum Minister, qui pro cæteris loquebatur, confessus fuisset omnia quæ diceret, mendacij arguenda esse, nisi missionem suam ordinariam probaret sine interruptione ad se delatam ab Apostolis, vrgereturque vt eam missionem præsentem probaret, petijissetque dilationem, vt Zuricû proficisceretur in Heluetiam, vnde probationes suas acciperet. Pro tribunali Præses ipse Huguenotus summa cum sua, gentisque suæ Huguenotæ confusione pronunciauit tres illi menses dari ad legitimas, & authenticas probationes deferendas. Vnde tota vrbe spargebatur ab Hæreticis rumor venisse Iesuitam, qui vt olim Satanas, I E S V M tentarat, ipsasque mulierculas melius fuisse respõsuras ipsis Ministris. Comesque vrbs Castrensis Gubernator coram ipso Patre, præsentibus decem ad minimum tum Huguenotis, tum Catholicis nobilibus dixerit, tantundem se fidei adhibere equis suis, atque illi Ministro, qui ceterorum caput erat. Vberiores autem fructus ex his duobus inchoatis Collegijs colligentur, vbi annuente Rege Christianissimo, à Paternitate vestra confirmata fuerint.

---

## DOMVS PROBATIONIS.



ERSANTVR hîc è Nostris circiter viginti; adlecti in nostrum ordinem sedecim aut eo amplius; Aliquot è Sacerdotibus, alijsque veteranis fratribus tertium tyrocinijs sui annum posuere. Singula prosequamur. Vnus è Nouitijs erat

erat in Societatis desiderio, sed moras in dies trahebat, veritus desiderium patefacere. Hic sensit secundum quietem multas hebdomadas, se terrificis infestari somnijs, & funestis spectris, non aliter quàm si verberibus afficeretur à Dæmone, vel etiam huc, illuc raperetur. Quid hinc fiat iuuenis? Nam si somno euigilet, terrent spectra; & aliò mentem conuertat, nusquam occurrit dolori medicina. Inuenit tandem malo remedium. Voto se Societatis obstringit; eo nuncupato euanuere insomnia, & pace fruitur animus. Alteri Nouitio multas obiecit difficultates Dæmon; sed ex omnes in ipso in Societatem ingressu abière. Religioni nostræ nomen dedit alter egregiè indolis, qui à prima ætate solitus erat dicere, se Iesuitam fieri velle. Hunc pius parens in Nostris scholis semper instituendum curauit, crebrisque cohortationibus eum ad Societatem nostram amplectendam inflammare consueuerat. Voti compos factus pater, gratias egit de recepto in ordinem nostrum filio, & quotiescumque eum postea est allocutus, grauitèr est ad perseuerantiam cohortatus. Flagrabat alter nostri ordinis desiderio. Huic consultum, vt si Societatem velit, animum à Philosophiæ studio cui se tradiderat, reuocatum, seriò tradat Rhetoricę præceptionibus iterum imbuendum. Erat id iuueni perdifficile, potissimum quòd studiorum causa, alia ciuitas adeunda foret. Paret tamen consilijs, & domo patriaque valere iussis, tandiu se includit Rhetoricę ludo recudendum, donec factus voti compos seculum cum religione commutauit. Ferebatur vnus è tyronibus antequam Societatem iniret, tanto animi ardore ad opera pietatis, vt doctrinam Christianam in Xenodochio doceret, & eleemosinis frequentibus pauperum penuriam solaretur, atque adeò totius ciuitatis oculos in se vnum conuerteret. Laudabile fuit alterius flagrans desiderium nostræ Societatis, cui pater est Caluinista. Tandiu enim Societatis fores pulsauit,

uit, donec sapius negatas Prouincialis ei aperuit. Distulerat alter suum in nostram Religionem ingressum, vti iusta parenti persolueret. Sustulit Deus parentem ex hominibus; inde factum est, vt liber post parentis funus ad Societatem conuolarit. Itarunt Nouitij ad vicinos pagos veste attrita, stipis causa emendicandæ, vt ad paupertatem instituantur. Visitarunt Xenodochia, & suam operam ægrotis strenuam nauarunt, ijsque ad confitendum de peccatis inuitandis Doctrinæ Christianæ præcepta explicarunt, alij inter Catholicos, alij inter Hæreticos, nec sine fructu. Ex vno disce. Hic mensem vnum posuit in semine iaciendo doctrinæ Christianæ. Vidit ea ciuitas, quam excolebat, puellas, & natu grandes mulieres, pueros, canosque senes frequentes conuenire ad Catechesim, certatim respondere de summis capitibus Religionis nostræ, atque etiam exardescere ad vnus imaguncula, aut alterius præmioli captandi cupiditatem. Quod ad peregrinationes attinet, sat longas & difficiles etiam inter hæreticos non sine diuina prouidentia obière, quibus iniuriæ scommata, & maledicæ voces non defuerunt. Audita Confessiones aliquot eorum, qui in hospitali domo versantur à Sacerdotibus, qui tertium probationis annum ponunt: è quorum numero vnus in ferijs Christi patientis, & resurgentis, in quodam oppido, non pœnitendam oppidanis operam dedit. Deniq; viget in Nouitijs Spiritus Societatis, & pietas; curritur certatim ad virtutem; neque est quicquam illis magis cordi, quàm optima de se, deque vitiosa natura victoria, quæ victoriarum maxima est.

PRO